78 N 14 [102]

ODE FUNEBRIS,

QUAM

MEMORIÆ FRATRIS OPTUMI,

IOANNIS SALOMONIS Vogel,

MEDICINÆ DOCTORIS APUD REICHENBACENSES, ET PHYSICI PER VARISCIAM ORDINARII,

D. XIIX. IANUAR. AO. MDCCXXI.

INOPINA MORTE EXTINCTI

DICARUNT

FRATRES RELIQUI.

UNIV.- U. LANDESBIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Kapsel 78 N 14 [102]

AK

X 3165 196

Sal: Tit: Hr. D. Trillern

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-777817-p0001-8

QUod, Diue, mœſtas nunc tibi nænias
Demum litemus, triſtia carmina
Quod nunc canamus ſero, noſter
Fecit acutus & asper angor.

Concede, Frater, ne fuge, quæſumus,
Ægras querelas, quas amor exprimit;
Concede nobis rectioris
Rite tuæ meminiſſe vitæ.

Sextum colendus te numerans Pater
Gnatum, beatis ſedibus additus,
Canus benigne diligebat,
Te genitum tremula ſenecta.

Sic non amabat Laomedontius
Inſignis heros Ascanium ſuum;
Sic non amabat conſeneſcens
Iſacides puerum Ioſephum.

Dumque omnis in te peruigil & grauis
Stat cura, quin inſomnis & anxia,
Chari parentis, Tete ſemper
Morigerum bene præbuiſti.

Eheu! paternus deſtituit fauor
Cygnenſium tunc diſcipulum Scholæ;
Quâ tete certatim Magiſtri
Inſtituuntque docentque fidi.

Non ardor ingens deſtituit tamen
Mentem tuam, non deſtituit ſacer
Muſarum amor, nec fixa ſemper
Spesque fidesque DEum in potentem.

Hoc fretus ardens tendis in altius
Caſtrum Cleanthis cum Podalirii
Iunctum, periti quo Melampus
Hippocrates & Apollo degunt.

Id

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-777817-p0002-3

Id Gera labens alluit, ac ibi
Induſtriè, quî bella paranda ſint
Diſcis catus morbis malignis
Seminibusque luis latentis.

Illic ſequenti perſpicuos duces
Clarosue viros artibus inclytis,
Veſtumque Fiſcherumque, cautæ
Creuerat artis opus benignum.

I viſita nunc extera limina!
Suadent Magiſtri fallere neſcii,
Fratrum cohors ſuadet, trahebant
Prouida fata ſequi paratum.

Ibas remotas, per loca inhoſpita
Felix ad oras; Rhenus & algidus
Et dia monſtrabant Moſella
Diuitias pretioſiores.

Pergis. Pateſcunt inclyta limina
Clariſſimorum, queis Academiæ
Superbiunt, Doctorum; & alma
Giſſa & auita ſoror pateſcunt.

Pergis. Pateſcunt atria ſplendida
Wiedenſis illuſtris Comitis tibi;
Stipendium fauſte medendo
Te iuuat hic meruiſſe primum.

Cernis reverſus tunc locupletior,
Gerana nectat quæ tibi laurea,
Queis te coronet, ſerta; lætus
Omne decus capis apparatum.

Num tete dignum geſſeris his tuis,
Queis te Machaon auxit, honoribus,
Teſtare Reichenbach! relanguens
Rus loquitur, loquiturue ciuis.

Felix

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-777817-p0003-9

Felix ſubibas vincla iugalia;
Quam ſeligebat prouidus optimus
Cœli parens, in coniugalem
Stockzahniam thalamum capeſſis.

Lætamur omnes: gaudia pectora
Fraterna fundunt, & bene ſinguli
Rebus tuis dicunt, ouantes
Lætitiæ dare ſigna certant.

Eheu! dolores lætitiæ trahunt!
Eheu! fugaces ſpes homines alunt!
Heu Diue, diues gaudiorum,
Quas lacrymas pluuiasque cogis?

Juſtos dolores fundimus, angimur:
Nam quis ſereno lumine, quis ſine
Singultibus funus videbit
Et Medici ſimul atque Fratris?

O te beatum, qui medicamina
Et luctuoſa hæc pharmaca deſpicis!
Quem ligna vitæ dulcioris
Exſaturant Apothecæ Ieſu!

Germane, ſi quæ cura & amor tibi
Noſtrûm beato reſtat in æthere,
Exuberantes in perennis
Has lacrymas cape pignus æſtus!

Demum precando, ſi potes, effice
Mœſtum vt leuetur, quod viduaueras,
Cor coniugis, matriues pectus:
Balſama cœlipotentis affer!

Gaudeto, Frater! Nos lacrymabimur.
Nos, qui tibi iſtoc ſoluimus vltimum
Munus, breui tecum beatis
Ætheriisque locis videbis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-777817-p0004-4

78 N 14 [102]

…DE FUNEBRIS,

QUAM

…IÆ FRATRIS OPTUMI,

…IS SALOMONIS
Vogel,

… DOCTORIS APUD REI-
…SES, ET PHYSICI PER VARISCI-
…AM ORDINARII,
… *IANUAR. AO. MDCCXXI.*
…PINA MORTE EXTINCTI
DICARUNT
…TRES RELIQUI.

UNIV. U. LANDESBIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Kapsel 78 N 14 [102]

AK

X 3165 196

Sal: Tit: gf. Dr Trillern

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-777817-p0005-0